

stiam : hoc modo fingitur esse sacrificium
 ἱλαστικὸν pro vivis & mortuis.

24. *Transsubstantiatio non convenit re-
 gno gratia, sed regno potentia, ut in miraculis
 videre est. Sacramenta sunt quidem illa
 mirabilia mirabilis gratiæ signa : sed non
 sunt miracula.*

25. *Reatus, qui contrahitur ex abusu S.
 cœna, est infidelitatis, vel negligentia & infir-
 mitatis.*

C A P. XXIX.

De Adventu Christi ultimo.

1. **E**lias est primus, vel secundus. Ille di-
 citur Thesbites : hic, Johannes Ba-
 ptista. 2. Reg. 2. Malach. 4.

2. *Seculum est præsens, vel futurum.* He-
 bræi eleganter vocant עולם הַזֶּה & הַבָּא
 עולם. Eodem sensu mundus est præsens,
 vel futurus, seu novus.

3. *Adventus Christi ultimus est particu-
 laris, vel universalis.* Ille fit partim in mor-
 te cujusq;, partim in resurrectione primâ,
 quæ est martyrum; hic fiet in fine sæculi,
 seu in resurrectione secundâ quæ est o-
 mnium hominum.

4. *Mors corporis spectatur in se, vel ex ac-
 cidenti.* Illo modo est omnium terribili-
 um terribilissimum, in hâc quidem vitâ :
 hoc modo per mortem Christi nobis red-
 ditur

ditur